

Hoc rerum statu res Venetæ erant , cum Leonardus Donatus , Princeps , repente ex humanis excessit . Nam xvij. calendas augusti cum mane , infirma licet valetudine , in Patrum Collegio fuisset , publicis negotiis vacasset , acriter vehe menterque disceptasset ; ex publica aula , cum in privatum cubiculum , quietis causa , se se recepisset , famulosque amandasset , animi deliquio extemplo correptus , interiit . Eo repentino casu perculsa civitas ingentes doloris significationes edidit . Fuere in Leonardo Donato , quas cuncta posteritas admiretur , egregiæ virtutes , vitæ morumque integritas , prudentia singularis , eloquentia admirabilis ; unus & idem semper in vita tenor , quem nulla prospera extulere , nulla adversa deterruere ; amor in patriam , in Deum pietas eximia . Etsi non defuere maligni ac perversi homines , qui inclito Principi notam nimium politici aspergere niterentur : attamen ita res se habet , ut quemadmodum nullum fortasse in administranda Republica parem habuit , ita in iis , quæ ad christianam religionem attinent , nulli unquam de cultu observantiaque concederent . Sæpius errata expiare , cælesti divinoque pane se reficere , pie tatis munera implere . Quæ pro patria egerit , quot legationes obierit , quos tum domi , tum foris magistratus gesserit , alio loco a nobis exarata sunt . Exequiis de more habitis justisque persolutis , de novo creando Duce consilia iniri coep ta . Ad summam dignitatem aspirabant Marcus Antonius Memus , Antonius Priolus , Joannes Bembus , Joannes Moecnicus , omnes Marci Procuratores , omnes summos in Republica honores consequuti . Sed , ut assolet in involuta illa comitiorum ratione , modo huc modo illuc fluctuante ac reciprocante sorte , tandem in eo suffragiorum æstu omnis in Memum fortuna incumbere visa est . Itaque decimo kalend. augusti Marcus Antonius Memus Princeps renunciatus est ; civis proiecta ætate , annum enim septuagesimum sextum expleverat ; ea proceritate ac majestate , ut inter alios eminentis , cunctorum in se ora vultusque converteret ; ea morum suavitate ac comitate , ut omnium sibi animos conciliaret ; quique ætatem omnem in publicis muneribus , ac præcipue in regendis civitatibus contriverat . In sequenti die , divi Jacobi festo , summa omnium lætitia inauguratus , principatum

1612
*Leonardus
 Donati
 Princeps obi-
 tus & ejus
 elogium .*

*Exstat
 Leonardi
 Donati
 Principis
 vita a
 Mauroce-
 no descri-
 pta , & edita
 Vene-
 tiis , apud
 Antonium
 Pinellum ,
 1628. in 4.*

*Marcus
 Antonius
 Memus , Ve-
 netiarum
 Dux .*

in-